

IV. Decretum *παλιγγενεσίας* & Reparationis, seu Voluntas DEI de mittendo Redemptore generis humani prior est prædestinatione & Electione, quippe quæ occupatur circa lapsum redimendum, & lapsui immediate successit, adeòque in signo rationis divinæ præcessit prædestinationem, quæ respicit solos credituros in Redemptorem.

*Prima promissio Redemptoris Genes. 3. 15. data est homini lapsu sine discrimine, sine respectu electorum vel reprobatorum: data ea est omnibus Adæ filiis & posteris, tam Caino, quam Abeli, adeòque toti generi humano. Disertè ibi fit oppositio inter Diabolorum & hominum lapsum. Sicut ergò omnibus & in singulis dæmonibus sine exceptione denegatur gratia: Ita hominibus omnibus & singulis sine exceptione ullius promittitur venia & gratia. Quicquid enim in Adam operiit, cum ipso resurgente spem eandem recepit Matth. 18. Sic DEUS dilexit mundum, ut ei filium suum unigenitum daret, & mundus fervetur per ipsum. Job. 3. vers. 16. 17. Sic proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Rom. 8. vers. 32. Fidelis ille sermo est & dignus, quem modis omnibus amplectatur: quod CHRISTUS JESUS venit in mundum, ut peccatores Salvos faceret. 1. Tim. 1. v. 15.*

*Errant ergò Calvinistæ & Papistæ quoque illi, qui missionem Christi, Redemptoris, sive Incarnationem Filij DEI, statuunt effectum prædestinationis, quasi sit ejus executio, solisq; adeò Electis destinata.*

V. Initium Reparationis & salutis humanæ est sola *Φιλανθρωπία* & misericordia DEI, quâ miseros peccatores & perditos homines ex mera benignitate erigit, recipitq; in gratiam.

*Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam Job. 3. v. 16. In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum: sed quod ipse dilexerit nos, & miserit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. 1. Job. 4. 10.*

*Erasmus naturæ filij iræ, quemadmodum & cæteri. Sed Deus qui dives est in misericordia propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui in delictis, convivificavit nos unâ cum Christo (per gratiam estis salvati) simulq; cum eo resuscitavit, & simul cum eo sedere fecit inter cælestes in Christo Jesu. Ephes. 2. vers. 3. 4.*